



† R. P. Leopoldus De Ridder (1860-1931).

(Prov. Belg.)

R. P. Leopoldus De Ridder, prout iam in fasciculo 4, p. 220 breviter nuntiatur, die 8 Iulii huius anni Antverpiae inopinato mortem occu-



buit, 70 annos vitae et 50 professionis religiosae iamiam emensus. Eum divina Providentia ad Alphonsianam familiam vocaverat, non ut esset eloquens orator et missionarius, neve ut in munere Superioris gerendo excelleret, sed ut varias disciplinas theologicas per multos annos egregie doceret et clericos nostros sana doctrina et bonae vitae exemplo ad apostolatam futurum praepararet.

Natus in Neerhout die 21 Sept. 1860, parentes suos mox Antverpianam secutus est. Inde ab initio in variis scholis ingenio eminebat et industria. In instituto Fratrum Hieronimitarum primus suae classis erat, decoratus « numismate excellentiae » ; in instituto

vero Antverpiano S. Norberti in fine anni 13 diversa praemia obtinuit.

Linguae Latinae elementa a quodam Patre nostro, R. P. Iosepho Boeckmann, qui patria sua Germania iniquis legibus expulsus, a. 1873 Antverpianam venerat, didicit; tum forti animo Seminarii Hoogstraten classem quintam ingressus est ibique tantum profecit, ut iam altero trimestri a magistro ceteris discipulis exemplum proponeretur. Condiscipuli autem, Leopoldi admiratores, eum « astrum » appellabant, quod cognomen ei inter sodales et amicos mansit.

Superata feliciter classe III et audito de nostra Antillarum missione quodam sermone, vivum desiderium Congregationi Redemptistarum se adiungendi in eius animo natum est, et postquam paucos dies in domo novitiatus Trudonopolitana transegit, parentes de firma voluntate Instituto Alphonsiano nomen dandi certiores fecit. Die igitur 6 Oct. 1879 novitiatum intravit, die 15 Oct. 1880 Trudonopoli vota nuncupavit eademque in domo studia humaniora felicissime absolvit.

Haud minores progressus annis 1882-1888 Pulchriungi in studiis philosophicis et theologis fecit. Ingenium eius subtile et penetrans una cum labore impigro methodoque bona effecerunt, ut inter omnes clericos emereret tam in consuetis examinibus quam in disputationibus seu thesibus publicis. Cui studiorum altiorum ardori associabatur observantia regularis

pietasque virilis. Sacerdotio initiatus est die 11 Oct. 1887 et anno insequenti nominatus Socius Magistri novitiorum simulque Lector syntaxeos in « parvo studentatu » Trudonopolitano.

Anno 1890 incipit longa illa periodus fere unice tradendis disciplinis theologicis consecrata. Namque exceptis brevi in Canada commoratione et triennio illo, quo domum Jette-St-Pierre Rector gubernavit, in studentatu suae Provinciae per 2 annos ius canonicum et historiam ecclesiasticam docuit, per 8 annos theologiam dogmaticam, per 10 annos scientiam biblicam, insuper per 4 annos theologiam moralem in studentatu Geistingensi Provinciae Germaniae Inferioris. His adde 5 annos, quibus una cum aliquot confratribus periodico moderando *Nouvelle Revue Théologique* destinatus erat. Ultimum vitae biennium apostolatui sacri tribunalis poenitentiae dedicavit.

Patris De Ridder ut religiosi nota characteristicam constans eius studium a Superiorum voluntate dependendi fuit. Ut erat imbutus vivo spiritu fidei et humilitatis ac pietatis, semper erat instrumentum promptum et obsequens in manibus illorum qui Dei vices gerunt, et vita eius integra his verbis comprehendendi potest: *Probatio caritatis est exhibitio operis*.

In Lectore vero discipuli admirabantur non modo ingenii praeclaras dotes, sed etiam singularem in laborando assiduitatem. Non videbatur alias vias novisse nisi has duas, oratorii et propriae cellae. Ut dialecticus perfectus sapientia via et ratione procedebat. Fere omnes praelectiones in magnos conspectus seu tabulas reduxerat, ut non audientium modo mentibus, sed suae quoque auxilio veniret, quam recte appellarunt « intellectum nunquam quietum et semper quaerentem ». Abhorrebat quidquid vel procul modernismum sapiebat Sacrae traditionis cultor studiosus, diligenter collegerat ea, quae Sancti Patres de variis argumentis in schola tradendis praeclare scripserunt. Singularem autem studio doctrinas Alphonsianas prosequeretur, a quibus non discedebat et quas contra quoslibet defendebat.

R. P. De Ridder, cum oculos Episcoporum effugere non posset, in dioecesi Leodiensi inter Consilii Antimodernistici membra cooptatus est; Emi Cardinales Mercier et Van Roey magni eum faciebant, et eo mortuo Belgii Primas subito sincerum suum de hoc casu dolorem declaravit. Quas P. De Ridder in variis foliis theologicis commentationes evulgaverat, eas complures Seminariorum professores multum laudarunt.

Earum saltem aliquas commemoremus, unde simul aliqua lux afferetur iis, quae supra de eius indole indicavimus: *Le néo-christianisme. Ses tendances et ses doctrines*. — *Un mot sur la mitigation des peines des damnés*. — *Le livre de Monsieur Houtin et la lettre de Léon XIII sur l'américanisme*. — *L'apologétique... aujourd'hui et autrefois*. — *Catholicisme et collectivisme religieux*. — *Modernisme et littérature allemande*. — *St. Alphonse de Liguori et la théologie dogmatique*. — Etiam quae de substantiali Dei

in nobis praesentia, de miraculo apologetico et de vocatione scripsit, multorum attentionem et plausum excitarunt.

Ultimo vitae tempore, cum lectoratu liberatus Antverpiae degeret, desideratissimus confrater eadem industriae, pietatis zeli que exempla dedit. Quotquot eius consilia litteris vel in confessionali expetebant, eius prudentem promptumque animum laudabant. Praesertim vero tot clerici Provinciae Belgicae et Germaniae Inferioris veneratissimo suo magistro gratum animum servant nec cessant pro eo orare.

R. I. P.
